

positus in Warstatt / & Prothonotarius Apostolicæ Sedis , domi-  
ciliū suum in oppido Franconia Rechtshochheim habuit , & in  
novo istius loci templo ( im neuen Münster ) sepultus est . (b) Jo-  
hannes Geyer arcanorum Friderici IV. Cæsaris particeps Supre-  
musque ejus Thesaurarius & Ædilium in Austria Præfectus no-  
minéque Episcopi Ratisbonensis Dynastiæ Pechlariensi Præpo-  
situs primus ex Franconia in Austriam Anno 1482. concessit ,  
& cum Agnato suo Simone Geyero Toparchiam Österberg in  
Austria Inferiore à Johanne , Ulrico & Julio Comitibus de Har-  
deck Anno 1514. pretio acquisivit , eamque à Maximiliano I.  
Imperatore ea lege in Feudum pro se & omni Familia sua acce-  
pit , ut reliqui Agnati intra triennii spatum mutatis laribus se-  
des suas in Austria figerent . Hæc prosopia post ea tempora opi-  
bus summoperè crevit , & in Archiducatu tam contractis ma-  
trimoniis quam emtionis titulo insignia bona acquisivit , nimi-  
rum Österberg / Hayndorff / Herrnals / Kressendorff / Hagberg /  
Mollenburg / Pielachhag / Gottmannsdorff / Wieselburg / Gleiß /  
Wolffstein / Gurhoff / Arbing / Wolfsberg / Windpasing / Roth-  
Hauß / Tazersdorff / Lebstorff / Sizenthal / Hart-Hauß / Lander-  
storff / Leim / Waideneck / Carnabrunn / &c. &c. (c) In Archivo Sta-  
tuum mentio quoque Geyerorum occurrit , narraturque ibi Jo-  
hannem Geyer Castellanum Pechlariensem cum Magdalena  
Schirmerin , bona quædam permutasse Anno 1504. (d) Dona-  
tionem mortis causa ab Afra Leuberstorfferin Nobili fœmina in  
favorem mariti sui factam , Johannes & Simon Geyeri Anno  
1508. subscripserunt . (e) Citatus Simon Geyer Assessor Judicij  
Provincialis in Austria cum Abbe Seitenstetteni Anno 1518.  
controversias habuit . (f) Idem Simon & Georgius Gotthar-  
dusque Geyeri memorantur in alio diplomate de Anno 1524.  
(g) Carolus & Hector Geyeri Fratres in Jus vocarunt Sulannam  
Hageriam viduam Romani matréisque Wilhelmi Geyeri Anno  
1533. (h) In Scuto Geyeri olim solum vulturem nigrum ex-  
pansis alis volatürientem gesserunt , apex autem ei debitus fuit  
ex galea sine claustris prisco mōre formata (Stechhelm) pro-  
tentia ala cum Scutario typo . Deinde Fridericus IV. Augustus  
in gratiam Johannis Geyeri galeæ ejus gentilitiæ coronam au-  
ream cui pileus ducalis rubeus , orâ reducta argentatâ , & semi-  
circulis aureis in modum coronæ clausæ constrictus insertus est ,  
Anno 1482. impoluit . Ferdinandus I. Imperator autem insignia  
Geyeriana auxit & in quatuor areas diviso scuto , primæ & quar-  
tae aureæ vulturem nigrum , secundæ & tertiae coeruleæ vero au-